



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

I. Quis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

sine luminibus in publicum prodire, alibi ubi magistratus id ipsum inhibuit, non licet.

Circumstantiæ illæ, quibus dispiciendis circumspectus occupatur, continentur hoc pervagato versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

I. QUIS?

Quis denotat personam & conditionem agentis: V. G. an magistratus, an privatus sit; an dives, an pauper; an versatus in negotio, quod exequendum est, an rudis &c. & penes hanc conditionem magnopere variat honestas & turpitudine actionis, nam quod magistratui licet, sæpe privato non licet & contra: quod diviti licet, sæpe pauperi non licet & contra: V. G. dives donare potest, pauper non potest: pauper accipere potest à multis, à quibus accipere sine turpitudine non potest dives: & sic porro. Symbolum in hanc circumstantiam, & velut oraculum quoddam, quod Ratio hic fundit:

IPSE TE NOSCE.

Item

TUO TE PEDE METIRE.

Quod

Quod oraculum longe sapientissimum est: ex quo nos bono cum Deo totam Ethicam deduximus, uti vedere est Tract. 1. circa inspect. sui. Hic vero oraculum illud applicandum est ad familiariores quasdam & frequentiores considerationes. V. G. an bonâ valetudine sis an adversâ, dives an pauper, doctus an indoctus, indigena an alienigena sit, & sine fine talia, penes quæ actio moralis multum variat: & prudentia alia atque alia agenda videt, ac omittenda in suo prototypo, quod semper contemplatur, nempe in Ratione.

II. QUID.

Hæc particula designat actionem exercendam, & etiam ipsum opus, quod actione ponitur: V. G. an ambulaturus sis, an domi studia tua curaturus: an convivio accepturus, & quos accepturus: an daturus librum, pecuniam &c. Symbolus hic

NE QUID NIMIS.

De quo satis dictum est Tract. 4. ubi de Diabolo.

III. UBI.

Hæc particula designat locum & personas actionem circumstantes: an scil. privatim an publicè fiat actio: an apud alios,